

justitiæ, lictores et carnifices, illi ut in carcere, hi ut in loco supplicii reos torqueant et coerceant; ita et in republica mundi, ubi alios quidem dæmones reliquit Deus in aere caliginoso super terram, velut lictores, alios detrusit in infernum velut carnifices, ut torquerent ibi damnatos. Unde Matth. XVIII. legimus servum nequam traditum esse *tortoribus*: et Apoc. II. scribit Joannes: *Ecce missurus est diabolus aliquos ex nobis in carcerem, ut tentemini*. Scimus e libro Tobie, c. III. septem impudicos Saræ maritos occisos ab Asmodæo: a quo eodem occisum esse nequam Her ob peccatum mollitiei, Gen. XXXVIII. sentiunt communiter: et 1. Reg. XVI. dæmon qui exagitabat Saulem, vocatur *spiritus Domini malus*. Quomodo spiritus Domini, si malus? Quia scilicet Dei minister et lictor erat, torquens impium Saulem. Utiles igitur et necessarii sunt mundo dæmones. Nam primo, sicut lictores et carnifices incarcerant et torquent fontes; ita etiam dæmones. Nemo innocens curat aut metuit ministros illos, quia noxios tantum apprehendunt: ita etiam non est, cur metuamus dæmones, si conscientia nos defendat. Audi Jobum, c. XL. dicentem: *Ecce behemoth quem feci tecum, fœnum sicut bos comedit*. Nomine behemoth dæmon intelligitur. Sed quos iste comedit? Qui carnales sunt et fœnum, juxta id Isa. XL. *Omnis caro fœnum*. Fecit eum nobiscum Deus, id est, concessit ut nobiscum in mundo maneret, sed non nisi in rebus fluxis et temporalibus læderet ad majus ipsorum bonum. Corvi sunt dæmones, ad hoc destinati ut cadavera tantummodo foras projecta devorent. Serpentes sunt, quibus dicitur: *Serpenti panis pulvis ejus*, Isa. LXV. et Gen. III. *Terram comedes*, id est, terrenos, cunctis diebus vitæ tuæ.

Secundo, sicut lictores neminem apprehendunt, in carcerem abducunt, vel torquent, nisi ex imperio magistratus; ita etiam dæmones nemini nocere possunt, nisi ex imperio et concessione Dei, cum eo limite, quem Deus eis præscribit. Quemadmodum patuit, cum facultatem dæmon petiit aggradiendi S. Job ostendens se habere ligatas manus: *Extende, inquit, paululum manum tuam, q. d. manu tua meam comprimis, laxa manum tuam ut mea illum aggradi queat*. Concessit illi hoc Deus, sed limitate ut animæ ejus parceret. Ex quo colligit S. August. præfat. enarrat. II. in Psal. XXIX. dæmonis voluntatem semper esse malam, potestatem vero semper esse bonam, quia a Deo concessa: et S. Gregorius, lib. II. moral. cap. VI. ait diabolum semper quidem appetere justos, sed hoc non posse, nisi quos et quousque permittit Deus. *Quare*, addit idem

sanctus, *formidari non debet, qui nihil nisi permissus valet: ille autem est timendus et honorandus eidemque serviendum, cujus est potestas et cui dæmon ipse pareat, etc.* Si esse prope te ingens aliquis ac ferox gigas cum gladio vaginæ incluso, et ex altera parte magnus aliquis tuus amicus gigante illo fortior et potentior, tui brachium ejus confineret, ne gladium evaginare et semovere loco posset; non esset certe cur gigantes timeres, sed operam dares ut potentis adeo amici gratiam conservares. Talis est igitur ferocis illius behemoth potestas, de quo dicto, c. XL. Job dicitur, quod sit: *Principium viarum Dei et qui fecit eum, applicabit gladium ejus, q. d. non nisi per creatoris licentiam evaginare gladium potest*. Canis instar est dæmon, præ macello stantis, et inutiles carnis bolos a lanione sibi projectos expectantis. Rogandus ergo solum Deus: *Ne projecias me a facie tua: et: Ne tradas bestiis animas constantes tibi*.

Tertio, sicut lictores neminem faciunt, sed ostendunt tantum reum esse vel non reum, dum quæstionibus exagitant et ponderibus appensis distrahunt seu librant, ut vulgo vocamus. Sic etiam dæmones, licet homines tentent, non tamen hoc ipso malos faciunt, sed malos esse ostendunt, si illi succubuerint, vel bonos, si non succubuerint. *Tentatio*, inquit Thomas de Kempis, *non efficit hominem improbum, sed qualis sit ostendit*. Certe S. Hieron. in Psal. CIX. diabolus vocat quæstionarium, idque deducit ex verbis apostoli 1. ad Timoth. dicentis: *Quos tradidi Satanæ, ut discant non blasphemare*. Ergo diabolus, inquit, *quasi quæstionarius Domini est: qui enim non recte ambulant, traduntur diabolo, ut ab ipso cruciati ad Deum convertantur*. Exagitando eos suis tentationibus ostendit, huius supra petram ædificati sint, an vero super arenam. Scimus ex evangelio Matth. VII. domum supra petram extractam tempestati minime cecidisse; cecidisse vero eam quæ supra arenam structa erat. Ex quo, ut Cassianus, coll. XVIII. cap. XIII. ait, satis apparet, donum aut consentiam stulti non corrumpisse, quod tentationum tempestate esset concussa (siquidem domus sapientis eisdem concussa non corruit) sed quod fundamenta illius domus non essent firma, nimirum arena. Sapiens ergo non succumbit tentationibus, quia in virtutibus bene fundatus est: stultus succumbit, quia male fundatus, adeoque domum cordis sui ruinosa et vitiosam habet. Verbi gratia, domus Cain corruit ab invidia oppugnata, quia ejus fundamentum erat inane quoddam desiderium honoris, quo cupiebat a Deo affici, si ostenderet Deus gratum sibi fuisse ejus sacrificium: Abelis tamen domus firma permansit, quia ejus fundamentum

erat pura et simplex intentio Deo placendi, eique offerendi optimum et pretiosissimum quod habeat. Esau domus cecidit, quia innitebatur fundamento carneo et amoris proprio; cui ut indulgeret, vendidit primogenituram: Jacob autem fratris ejus domus firma permansit, eo quod inniteretur fiduciæ in Deum, ad quem in omnibus suis calamitatibus per orationem confugebat. Perit domus et regnum Saulis, eo quod proprio judicio et voluntati tota inniteretur, contemnens et quasi conculcans obedientiam Deo debitam, prætextu et pallio quodam offerendi, ex proprio judicio, eidem sacrificium; domus vero et regnum Davidis firmum permansit, quia ejus fundamentum erat cor ipsius Dei cordi, ejusque voluntati valde conforme, quam certo statuerat in suis omnibus rebus adimplere. Pharisei ædificium a ventis fuit dissipatum; eo quod vanitatis vento inniteretur: Publicani vero domus stetit firma, quia ejus fundamentum fuit vera humilitas et cognitio sui. Fluctus dolorum et tribulationum non poterunt dejicere domum boni latronis in cruce; quia illam fundavit in cognitione suorum peccatorum, et quod esset dignus tolli supplicio: at alteram impii latronis domum funditus subverterunt; eo quod in obstinata sua voluntate pertinax consisterit. Itaque faciunt dæmones suis tentationibus ut seipsos noscant homines, indeque fit ut sæpe improbi pudore confusi respiciant et penitentiam agant, quam nunquam egissent, nisi tentati fuissent, quemadmodum et rei post quæstiones et torturas redeunt ad cor et per publicam penitentiam evadunt plerumque gehennam. Laudandus itaque Deus, quod hujusmodi ministros republicæ suæ providerit, etc.

CONCIO V.

FORAMINA, PER QUÆ HERESIS IRREPSIT IN GERMANIAM.

I. Dissoluta clericorum vita. — II. Ruditas et inscientia pastorum. — III. Prælatorum oscitantia. — IV. Principum conviventia. — V. Morum corruptio.

THEMA.

Qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est et latro. Joan. X. Fures et latrones esse hæresiarchas nostri temporis, ex hodierno evangelio manifeste intelligimus. Si enim apostoli Christi sunt, ostendant per quod ostium intraverint in Ecclesiam. Non aperuit illis summus ille et generalis ostiarius, Spiritus sanctus; quia per miracula et vite sanctimoniam demonstrare debent se immediate ab eo missos esse: non aperuit illis summus pontifex Christi in terris vicarius, quia

potius damnavit eos et ferit anathemate: non aperuere episcopi orthodoxi, quia contra lupos istos strenue protestati sunt et magnis vocibus reclamaverunt: cæteri fideles aperire non poterunt, quia non sunt ostiarii, nec illorum est admittere in Ecclesiam doctores et pastores. Unde ergo tandem irreperunt in Ecclesiam? Utique per foramina, per quæ intrare fures solent, uti in hodierno evangelio audivimus. Porro indagemus hæc foramina, quo mirari desinamus.

I. Foramem primum fuit dissoluta clericorum vita in priore illo sæculo, quo hæreses exortæ sunt. Negari enim non potest fuisse tunc in clero gravia et intolerabilia vitia, avaritiam et quæstum turpem ac sacrilegum, libidinem et gulam; disciplinam etiam regularem magna ex parte collapsam, et a pristino fervore relaxatam. Quemadmodum enim senectus homini deformitatem affert, nec ullum tam bene compositum est corpus, aut ædificium tam coagmentatum, quod non vetustate corrumpatur, ita nulla est disciplina etiam in domo Dei, quæ temporis progressu non contrahat labem aliquam et a pristina degeneret integritate. Ita enim natura comparati sumus, ut quo leges sunt antiquiores, eo frigidius eas servemus, et in transgressionem propiores simus. Differt in hoc natura ab alchimis-tarum arte. Hi enim pulveris cujusdam, quem fermentum appellant philosophicum, injectione ferrum in cuprum, cuprum in argentum, argentum in aurum, adeoque semper deterius in melius et nobilius metallum transmutare norunt; contrarium experimur in natura et religione, quæ paulatim remittit vigorem et ex auro in argentum, ex hoc in cuprum, e cupro in ferrum degenerat; uti canit etiam Horatius:

Damnosa quid non imminuit dies?
Etas parentum pejor avis tulit
Nos nequiores: mox datura
Progeniem vitiosiorum.

Imprimis vero monastica vita, aut optimos generat viros, si constiterit in vigore; aut pessimos, si fuerit dissoluta. Unde quod de Atheniensibus dixit Plutarchus, in vita Dionis, eos aut esse optimos aut pessimos, et de Attica, eam gignere sicut præstantissimum mel, ita et exitiale venenum; idem de monasticæ vitæ cultoribus dicendum esse videtur. Et sicut Jeremias in duobus calathis sibi a Deo ostensis deprehendit duplices ficus admodum diversas, in uno valde bonas (populum qui in captivitate Babylonicam abductus fuerat); in altero valde malas (populum qui manserat Hierosolymis): ita in monasteriis aut deprehenduntur valde boni, qui regulam observant, aut valde mali

qui non observant, sed tepescunt. Testatur hoc gravis auctor S. August. ep. CXXXVII. to. II. *Sicut non inveni, inquit, meliores qui in monasterio profecerunt, sic nec deteriores, qui monasterio defecerunt.* Ex his fuere Pelagius, Eutyches, Nestorius, Jovinianus, et superiore sæculo Lutherus ex ordine S. Augustini, Bucerus ex ordine S. Dominici, Conradus Pelicanus ex ordine S. Francisci, Bernardus Ochinus ex ordine Capucinatorum, Viretus et Petrus Richerius ex ordine Carmelitarum, Ocolampadius ex ordine S. Birgittæ, Thomas de Thielt ex ordine S. Bernardi, Petrus martyr. ex ordine Carthusianorum, etc. Quando ergo tot monstra e monasteriis infelici illo sæculo prodierunt, magnum sane præjudicium est non fuisse eo tempore adhibitam ubique debitam diligentiam in observanda vita monastica et regulari disciplina. Quod ideo etiam commemoro, ut posteri religiosi illorum lapsu docti, melius sibi attendant, quia quantum boni expectat Ecclesia a bonis, tantum vicissim mali metuit a malis.

II. Secundum, defectus virorum eruditorum, seu ruditas et insecitia pastorum. Constat enim proxime elapsa sæcula perquam rudia fuisse; academias non floruisse, sacra fidei dogmata parum aut nihil ventilata fuisse; plebem in iisdem male instructam hæreticis oblatrantibus respondere non potuisse; prisco tantum ritu Deum coluisse, et in primitiva sua simplicitate vixisse. In scholis quæstiones fere spinosæ solum agitabantur, ad imposturas hæreticorum parum attendebatur. « Quin plerique etiam opibus (ita lamentatur illorum temporum miseriam Florimundus Raymundus, l. II. de progress. hæres. c. ult.) quas longa pax Ecclesiæ attulerat, quasi indormiebant, suisque officiis segnitè fungebantur. Tum vaticinium illud prophete Amos impletum fuit: Famem non panis et vini, sed divini verbi mundo minantis. Imo tempus illud erat, de quo Isaias dicit: Sacerdotes æque et simplicem populum rudes fore atque ignorantés; eadem tum, quæ antiquæ illi Sion apud Jeremiam prophetam, ruina Ecclesiæ impendebat. Plerique in Germania Christiani et catholici erant tantum imitatione quadam, non scientia aut humilitate. Et quemadmodum ii qui ducentis aut trecentis annis sine titulorum a majoribus acceptorum tranquilla possessione usi sunt, tam longi temporis præscriptionem ad jus suum probandum satis esse putant, nec prisca et rubiginosa monumenta excutere quidquam pensi habent; sic magna pars prælatorum et Ecclesiæ præsulum, antiqua sua possessione contenti suavem vitam ducebant, parum interim de legendis sacris libris solliciti. O infortunati Archimedes! Qui interea dum civitas vestra

diripitur, figuris in pulvere describendis occupamini. O canes culinæ potius quam custodiendo gregi intenti! Qui dum muti estis, ac mille et quadringentorum annorum possessioni ac præscriptioni nimium fiditis, et oves lupo et vestram ipsorum causam hostibus ferme prodidistis. Quid enim de ignorantia, luxu et vitiiis temporum illorum dicam? Quibus plerique immersi nihil aliud quam otium spectabant, et cuticulam suam tantum curabant? Nam quemadmodum corpora pulveri ac soli exposita, multisque laboribus exercitata omnes aeris injurias facilius ferunt; delicate vero habita et molliter educata etiam levibus rebus quum facile tum graviter offendentur; sic longa illa quies et felicitas in Ecclesiæ corpore multos pravos ac vitiosos humores peperit, e quibus deinde gravissimi morbi, symptomata et convulsiones exstiterunt, a quibus etiamnum Ecclesia nondum convaluit, quamvis a cœlesti illo medico diversis remediis aliqua ex parte sublevata sit, et paulatim pristinae sanitati restituta. »

Porro singulari dæmonis versutia factum, ut eo tempore pauci docti viri essent, qui pro Ecclesia Dei pugnarent, quando ipse eam tot armis invadere destinavit. Quemadmodum Naas Ammonites eo solum pacto recipere in fœdus Hebræos de Jabes Galaad voluit, ut erueret omnium dextros oculos (1. Reg. XI). quo nimirum eos bello redderet ineptos (nam sinistros oculos bello redderet ineptos, et consequenter dextro rem agere et dirigere jacula debebant) ita egit diabolus calamitoso illo tempore, sinistros oculos reliquit Ecclesiæ pastoribus, ut jurisprudentiæ vel juri etiam canonico, politicis quoque rebus studerent: verum dextros illos, quibus fidei dogmata perspicere et propugnare deberent, eruit. Ac quemadmodum Philisthæi, hostes Judæorum, caverunt, ut non esset faber in Israel, qui arma eis cuderet, (1. Reg. XIII.) quo nimirum secure eos premere et subjugare possent armis destitutos: ita fere evenit Germaniæ, ut eo potissimum tempore, quo cum hæreticis pugnare debebat, pastoribus eruditus pene destituta esset. Quare vel nunc sero sapiant Germani, et discant juventutem studiis addicere, et de pastoribus oculatis sibi providere, nisi malint cæci a cæcis duci, et ambo in foveam cadere.

III. Prælatorum oscitantia et somnolentia. Quemadmodum enim in parabola evangelica, dum dormirent homines, venit inimicus homo et superseminavit tritico zizania, Matth. XIII. ita contigit Ecclesiæ: *Cujus ager prælatorum negligentia et pigritia totus quasi sentibus et spinis obductus squallebat: totus ob morum dissolutionem et vitia degeneravit,* inquit Florim. suprac. l. 1.

deprogressu hæ. VIII. Scimus quid evenerit Isbo-seth filio Saul, quando non ipse solus in domo sua, sed et ostiaria domus purgans triticum obdormivit; ea enim dormiente ingressi sunt domum latenter duo latrones et occiderunt Isbo-sethum, II. Reg. IV. Quid hæc ostiaria dormiens, nisi prælati ad ostia Ecclesiæ custodienda destinati? Hi vero dum frugibus et redditibus solum colligendis student, et in cura pastoralis interim obdormiunt, viam aperiunt Luthero et Calvino, pessimis duobus latronibus, quo latenter Ecclesiam ingressi interficiant animas, perfidiæ pugione. Nec mysterio caret, quod ostiaria, non ostiarius, sua somnolentia damnum istud dederit: quia prælati illi non ut viri, sed ut feminæ potius pastoralis præerant muneri; dum qui se muros opponere contra novatores debebant, nimis facile terri hosti manus dederunt, ac viso lupo veniente, fugerunt. Sed ne cui injuriam facere videamur, audiamus iterum Florimundum, l. 4. c. IX. sic perorantem: « Quid ergo fuit quod tanto malo grassandi licentiam dedit? Illud nimirum, quod obscurum hominem (Lutherum) imperator contempsit, cardinalis vero dulcibus ipsius verbis, et suis ipsius, quas Lutherus frequenter in ore habebat, laudibus consopitus fuit. Nullum enim Cajetani humanitatem ac benignitatem deprædicandi finem Lutherus initio faciebat. Illud sane imprudenter vel negligenter potius a Cajetano factum videtur, quod hominem nullo salvo conducto ab imperatore munitum, quum Augustæ tum alibi tamdiu oberrare permisit, cui sine ulla perfidiæ exprobratione, quod in mandatis habebat, manus injicere potuisset, sed et optimo jure securitatis litteras imperator Luthero denegare poterat, ut qui imprudenter in plagas ipse se coniecisset. Sed uterque lenitate utendum sibi existimavit quod remedium in valetudinibus malis admodum est periculosum. Testatur enim experientia, morbos pecudum magis magisque ingravescere et dispalari: »

Dum medicas adhibere manus ad vulnera pastor abnegat, et meliora deos sedet omnia poscens.

Et quemadmodum urtica levi et suspensa manu contacta urit, ac rudi manu compressa obtunditur ac vim suam perdit; sic nascens quæcumque hæresis facile opprimi potest, si auctoris os claudatur, et irrisa ejus stultitia et temeritate, vox plane adimatur. Hoc modo multorum fatuitas sanata fuit. Contra obstinatos vero non verbis sed factis, non lenibus sed asperis remediis utendum; primisque principiis obstandum est. Dilatio enim seu mora novas malo vires addit; tantoque illud fit incurabilius, quanto magis inveterascit. Hinc Synesius ac imperato-

rem Arcadium sic scribit: Malum nascens facile avertitur et sanatur; at ubi inveteraverit omnem medicinam respuit. Nimirum:

Sero medicina paratur
Quum mala per longas invalere moras.

Et sapienter monet Aristoteles, ad præcavendas imperiorum ruinas, turbarum quamvis tenuissimis initiis esse occurrendum. Nam quemadmodum in fluminibus videmus, si quid inciderit aut aquarum impetu eo delatum sit, quod cursum remoretur, paulatim molem accrescere, ac sæpe integras insulas existere; sic in mundi hujus, ac præcipue religionis negotiis, ex parvis initiis magnæ rerum mutationes sequuntur. Annon exigua Arianismi Alexandriae accensa scintilla totum fere terrarum orbem fœdo incendio involvit, eo quod primo sui ortu non fuerat extincta? Sic Lutherana quoque hæresis ex obscuro Germaniæ angulo progressa, magnam christianæ reipublicæ partem sua contagione infecit eam ob causam quod initia essent neglecta. Sed hæc divinæ voluntatis erant decreta: hanc penam, adeoque multo majorem peccata nostra merebantur. » Sic ille.

IV. Principum conniventia, quæ hæreticos cum potuissent, non extinxerunt. Num. XXXIII. præcepit Deus Moysi et Israelitis ut ingressuri terram promissam disperderent omnes habitatores terræ illius, Chananæos scilicet, utpote gentiles, ac nisi omnes interfecissent: *Qui remanserint, erunt vobis, inquit, quasi clavi in oculis, et lancea in lateribus, et adversabuntur vobis in terra habitationis vestræ, et quidquid illis cogitaveram facere, vobis faciam, q. d. vexabunt et dilacerabunt vos bellis, etc.* Id quod experti sunt postea. Cum enim aliquibus pepercissent et inito fœdere permisissent inter se eos habitare, non potuerunt eos postea delere, sed ab eis direpti, capti et venditi sunt ut patet, Jud. II. Expertus id etiam est Achab, rex Israel, qui cum regem Syriæ Benadab, hostem Israelitarum vicisset (quem occidere debebat) et Benadab lateret, ejus servi dixerunt: « Ecce audivimus, quod reges domus Israel clementes sunt, ponamus itaque sacco in lumbis nostris et funiculis in capitibus nostris, et egrediamur ad regem Israel, forsitam salvabit animas nostras. » Egressi ergo ad Achab dixerunt: *Servus tuus Benadab dicit: Vivat, oro te anima mea: et Achab: Si adhuc vivit, inquit, frater meus est.* Quod verbum mox rapuerunt servi ex ore ejus et ad regem suum attulerunt. Itaque receptum in fœdus dimisit Benadabum Achab. Sed quam necedem, ex hac clementia retulit? Occurrit ei mox propheta et ait: *Quia dimisisti virum dignum morte, erit anima tua pro anima ejus et populus tuus pro*

populo ejus, III. Reg. XX. Quod et factum, nam post tres annos iterum movit praelium contra Achab rex Syriae in quo Achab occisus est jussu regis Syriae, III. Reg. ult. Simili de causa Graecia perit, quia non multum solliciti erant Graeci de religione, permittebant haereses crescere ut lubitum cuique erat, quod S. Basilius, in quadam epistola ad Occidentales, et S. Hieronymus ad Damasum queruntur et deplorant. Habuerunt etiam principes nostri haereticorum antesignanum Saxonem et plerosque haereticos in sua potestate; sed quia nimium elementes eos dimiserunt, uti et Lutherum, propterea jam ab illis patimur, quae illi a nobis debebant. Recepti a nobis Lutherani Augustanae confessionis; postea tolerati et Calvinistae; tolerata eorum novitates et rapinae; experimur jam quid nobis ipsi creaverimus. Accidit sane nobis, quod hospiti illi Aegyptio, qui cum in domum suam recepisset et tolerasset aspidem, licet ipsa nemini noceret, catulos tamen peperit, qui hostitis puerum veneno peremerunt, teste Alberto Magno, de animal. l. XXV. in aspide. Etsi enim aliquamdiu conquievit haeretici illi recepti in foedus, proles tamen ipsorum nos jam expellere conantur ex nostris ditionibus. Canticorum II. dicitur: *Capite nobis vulpes parvulas quae demoliuntur vineas*. Quenam istae vulpes? Nimirum illae Samsonis trecentae secundum Origenem, hom. IV. in Cant. haereticorum typus, quae caudis mendaciorum colligatae, segetes vastant Ecclesiae. Eae vero capiendae sunt, antequam succreverint.

Qua in re non solum principes aliqui dormiunt, sed et nostrum multi adhuc delinquant, dum cum Judaeis et haereticis amicitias contrahunt majores saepe quam cum catholicis. Laudant eorum facta, nostra vituperant; quid hoc aliud quam dicere: *Frater meus es?* Et quid mirum, si proinde nobis faciat Deus quae facturus erat haereticis?

V. Morum corruptio. Quid mirum si haeretici nos exturbent, aut haeresis in nos derivetur, quibus vel similes, vel peiores sumus? In hujus rei figuram minatur Deus, Jerem. X. se positurum domos Juda habitaculum, draconum. Quia mavult regnare infideles vel haereticos, quam perditos Christianos, siquidem illi contemnunt Deum, quem non agnoscunt; nos vero contemnimus, quem agnoscimus. Unde fit ut propter nos blasphemetur nomen Domini, multo magis quam propter gentes. Hinc factum ut Jerosolyma ob perditos ejus cives traderetur gentilibus: hinc Graecia tota in manus Turcarum venit: hinc haereses in Germania exortae: hinc tumultus in imperio. Erant Graeci dediti maxime ebrietati, convivis et tripudiis, ut deplorant in epistolis suis Basilius et

Chrysostomus; religionem non magni faciebant; suas sequebantur sententias contra Ecclesiam Romanam; pontificem non venerabantur, sed proscindebant, repellebant; patriarcham suum Constantinopolitanum, qui patriarcharum ultimus erat, primum omnium esse voluerunt. Sed quid factum? Quia vino dediti erant, Turcis traditi sunt, qui vinum respuunt, et vites, cum possunt, succidunt: quia tripudiis, jam compedibus vincti et servituti traditi sunt, ut gemere magis eis placeat quam saltare aut canere: quia religionem non curabant, jam vix in angulis quibusdam eam retinere possunt: quia contra Ecclesiam de Spiritu sancti processione sentiebant, in feriis pentecostes Constantinopolis a Turcis capta est: quia denique sedi Romanae subesse noluerunt, subesse jam coguntur tyranno immanissimo. Non multum dispares fuere mores Germanorum, cum in haeresim Lutheranam cadebant; nulla tunc fere in ss. litteris eruditio; canones sacri non observabantur; nulla sacramentorum frequentatio; nulla erga clerum reverentia; contumeliosae et scurriles sacrarum caeremoniarum et mysteriorum irrisiones, ut patet ex illius temporis scriptoribus, Munstero, Erasmo, Bebelio, Sleidano, etc. Quid hi aliud erant, quam ligna arida ad concipiendam haeresis flammam? Jam vero annon et nostri mores ad illos propae accedunt? Certe nostram Germaniam sororem esse Graeciae, quantum ad ebrietatem, quis non videt? Nihil inchoatur aut finitur nisi cum potu. Non scimus honorare amicos nisi cum potu, nisi vocentur ad prandium, nisi ebrii dimittantur. Nonne hoc genus quoddam stultitiae, reputare sibi pro honore, cum amicus destruit vinum tuum et simul sanitatem suam? Deinde exiguus cleri respectus. Nulla immunitatis Ecclesiae, canonum, praceptorum observantia. S. Hieronymus, ep. XIII. ait: *Nostris peccatis barbari fortes fiunt: nostris vitiis Romanus fugatur exercitus*. Nos hoc de haereticis dicamus, et rem acu tangemus. Nostris enim peccatis fortes fiunt haeretici, nostris vitiis fugatur noster exercitus. Quid igitur miramur? Ergo, o Germani, si a finibus nostris extorres volumus haereticos, si ab illorum incursu deinceps liberi esse, obstruamus illa foramina, per quae irrepserunt; reformetur clerus; instaurentur studia; vigilent praesidi; gladium exerant principes; cessent mores populi corrupti; convertatur unusquisque a via sua pessima; resumamus pristinum fidei vigorem quem habuere majores nostri, etc.

CONCIO VI.

CAEREMONIAE SACRAMENTI CONFIRMATIONIS EXPONUNTUR.

I. Confertur solum ab episcopo. — II. Per unctionem s. chrisomatis. — III. Frons inungitur in modum crucis. — IV. Manus confirmando imponitur. — V. Ictu levi admonetur. — VI. Obligatur frons fasciola. — VII. Datur ei patrinus.

THEMA.

Ego veni ut vitam habeant, et abundantius habeant.

Joan. 1.

Laetatur sane parens, cum nascitur ei filius: sed tamen multo magis gaudio repletur, cum videt jam adultum et robore praestantem, ad militiam vel alia reipublicae munia idoneum; hic enim ipsius finis est, quem a filio expectat. Genuit nos, auditores, per fidem et baptismum Christus Dominus; sed non est ipsi satis si per gratiam vivamus, vult praeterea in ea confirmemur et crescamus; adeoque idonei fiamus ad militandam christianam militiam, plurimaque in Ecclesia bona patrandae. Hoc est quod nos docet in hodierno evangelio, cum ait: *Ego veni ut vitam habeant, et abundantius habeant*. Vitam animae, gratiam accepimus in baptismo; abundantius vero accipimus eam in confirmatione. Ibi adolescimus, ibi caelesti robore induimur, ibi milites efficitur; quemadmodum et apostoli die pentecostes confirmati fuere et milites effecti, ut jam non dubitarent in publicum prodire et contemptis principum minis, Christum palam annuntiare. Porro quemadmodum apostolorum militaris inductorio non sine externis signis contigit (sonus enim repente de caelo venit cum turbine, seditque Spiritus sanctus specie ignearum linguarum super apostolorum capita): ita et confirmatio non fit sine caeremoniis: quae cum salutari consilio excogitatae et documentis plenae sint, a nobis examinari debent.

I. Non confertur nisi ab episcopo, quia est sacramentum perfectionis, seu constituens hominem perfecte christianum et idoneum ad militiam christianam; unde a Graecis vocatur, perfectio, uti a S. Dionysio, de Eccl. hierar. et Ambros. lib. III. de sacram. cap. II. Quemadmodum ergo in extruendis aedificiis, (ut arguitur D. Thomas, III. p. q. LXXII. art. XI.) fabri inferiores, calcem, caementa, ligna et reliquam materiam parant atque componunt, absolutio tamen operis et ultimae manus impositio ad architectum spectat; ita et baptismus et alia sacramenta per inferiores sacerdotes homini conferri possunt; verum confirmatio, quae spirituale hominis aedificium perficit, manum episcopi requirit. Et rursus sicut epistolam exarat quidem scriba, sed eam ad finem dominus manu propria sub-

scribit; ita baptizat quidem sacerdos, sed manus episcopi signo crucis consignat hominem in fronte quasi epistolam caelestibus characteribus conscriptam. (Hinc apostolus Corinthios a se conversos vocat epistolam suam, simulque epistolam Christi, scriptam non atramento, sed spiritu Dei vivi, II. Cor. III.) Unde etiam recte confirmatio vocatur manus impositio a S. Aug. l. III. contra Donat. c. XVI. et l. VI. c. XIV. quasi ultima manus impositio seu perfectio. Non quod hominem actu perfectum et omni virtutum genere instructum reddat; sed quod abundantem ei et specialem gratiam conferat ad hanc perfectionem consequendam. Quemadmodum enim trium votorum editio religiosum in statu perfectionis constituit; non quod is statim perfectus sit, sed quod illa professio eum addicat studio et statui perfectionis, in quo perfectus esse contendat et quod peculiariter ad id adjumenta habeat. Propterea D. Thomas, quaest. cit. art. VIII. ait: Sicut de intentione naturae est, ut homo crescat statura; ita de intentione Dei esse ut idem crescat vitae perfectione. Quare sicut pumilio non est perfectus homo, ita: *Absque hujus sacramenti unctione perfectus esse Christianus nequaquam poterit, neque sedem habere inter perfectos*, inquit S. Clemens papa, ep. IV. ad Julium et Julianum. III. asserens se hoc audisse a magistro suo Petro. Consistit autem haec perfectio in eo, ut studeamus vitare omnia peccata, animam exornare bonis operibus, servare omnia praecpta, et quantum fieri potest etiam consilia. Qui enim consilia et profectum non curat, tepidum se Christianum prodit et periculo defectionis obnoxium, juxta id Apoc. III. *Quia tepidus es, incipiam te vomere*. Quam ob causam Hugo de S. Victore, apud D. Tho. loco cit. ait periculosum esse homini, si absque sacramento confirmationis decedat, quod detrimentum perfectionis patiatur.

II. Confertur per unctionem s. chrisomatis, quod est conlectum ex oleo et balsamo. Oleum nitorem conscientiae, balsamum odorem bonae fame significat, uti docet Concilium Florentinum. Ergo hoc fit primo, ut habeamus bonum testimonium, tam intus erga nos in conscientia nostra, quam foris erga proximum in vitae conversatione. Duo haec testimonia saepe urget et requirit apostolus, testimonium inquam bonae conscientiae, et testimonium bonum apud eos qui foris sunt. Nobis enim debemus vitam bonam, proximis vero famam bonam; juxta id II. Cor. II. *Christi bonus odor sumus in vobis qui salvati sunt*. Gratus quidem est flos qui pulcherrimo suo colore et decore visum oblectat; at multo gratior est, si praeterea et odorem gratissimum aspiet.

Secundo, ut dum pugnam christianam contra